

Werk

Titel: Copiosissima Evangeliorum Dominicalium Expositio

Autor: Bakius, Reinhardus

Verlag: Lungius; Schmidius

Ort: Lübeck; Schleusingae

Jahr: 1640

Kollektion: VD17-nova

Werk Id: PPN616188471

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN616188471> | LOG_0021

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=616188471>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

Dominica V. post Epiphanian.

Evangelium, Matth. 13.



Aliam Parabolam proposuit eis, di-
 cens: Assimilatum est regnum celo-
 rum homini seminanti bonum se-
 men in agro suo: Sed dormientibus
 hominibus, venit illius inimicus, & seminavit
 zizania inter triticum, abiitq;: Cum autem ger-
 minasset herba, & fructum fecisset, tunc appa-
 ruerunt & zizania. Accedentes autem servi
 Patris familiars, dixerunt illi Domine, Nonne
 bonum semen seminavas in tuo agro? Vnde igitur
 habet zizania? Ille vero dixit illis: Inimicus
 homo hoc fecit. Servi autem dixerunt illi: Vis
 igitur abeamus & colligamus ea? At ille dixit:
 Non, ne dum colligatis zizania, eradicetis si-
 mulcum illis & triticum, sinite pariter crescere
 utraq; usq; ad messem. Et in tempore messis di-
 cam messoribus. Colligite primum zizania, &
 colligate ea in fasciculos ad comburendum ea.
 Triticum vero congregate in horreum meum.

Cum



Um D. Paulus Eph. 5. v. 26. dicat: *Christum pur-*
gasse Ecclesiam suam, lavacro aquae per verbum, ut sistat eam sibi
gloriosam, non habentem maculam, aut rugam aut quicquam
eiusmodi: inde Cathari ac Donatistae collegerunt, hodieq;
 Anabaptistae colligunt, Ecclesiam in hoc mundo planè puram, putam
 & omnium vitiorum atq; scandalorum inexpertem esse posse: Sed er-
 rarunt & errant utrinq; satis turpiter, cum Apostolus expressè dicat,
 quòd talem sistere Ecclesiam Christus velit *non nobis sed SIBI*, tunc ni-
 mirum quando redibit ille ad iudicium, & Sancti in puritate illibata
 fulgebunt ut splendor firmamenti, Dan. 12. v. 3. In hoc autem vitioso
 seculo Ecclesiae area triticum habet & paleas, Matth. 3. v. 12. rete Ecclesiae
 bonos continet & malos pisces, Matth. 13. v. 47. Ecclesiae nuptias ade-
 unt convivae & nuptiali veste ornati & non, Matth. 22. v. 11. expectant
 Sponsum virgines & sapientes & fatuae, Matth. 25. v. 2. Ecclesiae domus
 variis ornata vasis, & ad gloriam & ad ignominiam, 2. Tim. 2. v. 20. imò
 ut palearum plus tritico, ut pampini plures sunt uvis, ut plura arborum
 folia quam fructus, ut plures in hortis aculei quam rosae, ut terra incul-
 ta amplior est aratae, ut plures falsae aquae in mari quam dulces in fontibus,
 utq; terra sterilis superat eam, quae auri venas habet, 4. Esdr. 8. v. 2.
 ita & in Ecclesia plures sunt mali quam boni, id quod satis superq; te-
 statur hodiernum Evang. in quo equidem caelestis ille paterfamilias
 bonum semen seminat in agrum suum, sed dormientibus hominibus
 accedit inimicus & tantum interseminat zizaniorum, ut bonum triti-
 cum vix compareat: attendat itaq; quilibet nostrum, ut in agro Domi-
 ni bonum semen & verum veræ Ecclesiae membrum reperiatur. ¶
 Vel assumas dictum: 2. Cor. 6. v. 14. & 15. Ubi licet Apostolus expressè
 dicat *justitia nullum esse consortium cum iniquitate, nullam luci communionem*
esse cum tenebris, nec ullam Christi concordiam cum Belial: attamen omni
 tempore infernalis ille Belial eò allaboravit unice, ut suam aram aræ
 Christi suumque facellum DEI templo adjungeret, hinc ubi Abel ibi
 Cain: ubi Sem ibi Cham: ubi Isaac ibi Ismael: ubi Iacob ibi Esau: ubi Ioseph
 ibi fratres perfidi: ubi Moses & Aaron, ibi Corah, Dathan & Abiram: ubi Eli-
 as, ibi Baalita: ubi Amos, ibi Amafia: ubi Christus ibi Pharisaei: ubi Petrus ibi
 Simon Magus: ubi Paulus ibi Philetus & Hymeneus: ubi Ioannes ibi Ebion &
 Cerinthus: ubi Lutherus ibi Papista, Sacramentarii, Anabaptista, &c. imo
 juxta stylum hodierni Evangelii, ubi bonum illud & nobile semen

Exord. 2.

Exord. 3.

cœlestis coloni, ibi etiam zizanion infernalis illius inimici reperitur, quod quidem unà cum bono semine ad tempus crescit & florescit, tandem autem eruncatur, à tritico separatur, in fasciculos colligitur & æterno igne comburitur, unde immota manet Pauli regula, *nullum scilicet justitia cum iniquitate consortium esse, nullam luci cum tenebris communionem esse, nec ullam Christo cum infernali Beliale concordiam.* ¶ Vel repetatur hic Typus ille 1. Reg. 10. ubi ut classis Salomonis regia ex Ophir advexit *non aurum aurum, argentum & ebur, sed etiam pavones & simias*, Ita militans quoq; Ecclesia onustum est navigium, quod vœtat *Christianos* (1.) *aureos* h. e. firma fide præditos, & pertinet huc Cananæ, Centurio Capernaiticus, & omnes illi, qui equidem agnoscunt, quod naturâ sunt miseri, & miserabiles, & pauperes, & cœci & muti, sed aurum emunt à filio Dei, ut ditescant, Apoc. 3. v. 18. Vehit (2.) Ecclesiæ militantis navigium *Christianos argenteos* h. e. fide licet infirmiori vera tamen instructos, & pertinent huc Pater Lunatici, navigantes discipuli, ut & omnes illi, qui cum Apostolis orant: *Domine adauge nobis fidem*, Matth. 17. Vehit (3.) Ecclesiæ navis *Christianos eburneos*, hoc est, fortes & constantes, pertinent huc sancti Martyres, ut & omnes illi, qui constantiæ donum unicè expectant, dicentes: *Berlehs mir auch Beständigfeit/zu meiner Seelen Seligfest.* Ut autem (4.) classis Salomonis *Pavones* etiam & *Simias* vexit, ita in externo Ecclesiæ cœtu multi etiam sunt *hypocritæ*, qui simiarum instar, Dei quidem opus imitantur & pietatis quandam habent speciem, vim autem ejus abnegant, 2. Tim. 3. v. 5. ut & *Operarii*, qui pavonum more, suorum operum malè consutis speculis coram mundo superbiunt, ut Pharisæus, Luc. 18. Ut itaq; ante octiduum *cœlestis Salomonis navigium vidimus*, ita jam consideremus ejus merces, h. e. *aureos, argenteos & eburneos Christianos, qui per bonum semen, nec non pavones, simias, operarios, hypocritas, & omnis generis malos homines, qui per zizanium infernalis inimici depinguntur, &c.*

Parabola 7. in
anno Matth. 13.
sup. descripta.

Aliam proposuit eis Parabolam. ¶ Aliam narrasse dicitur Dominus Parabolam, quia in c. Matth. 13. septem reperiuntur *similitudines*, quibus *Lyranus* dicit depingi diversos Ecclesiæ status, eosque finem mundi attingentes. I. *Sub Christo*, licet semen verbi latissimè spargeretur, magna tamen *credentium* fuit *paucitas* & spectat huc simile: de *semine quadrifariam* cadente. II. *Sub Apostolis* iisque magna ex parte in *Christo dormientibus*, zizanium sparsum est adeò, ut vivo adhuc Joanne Ebio-

Ebionem & Cerinthum surrexisse sciamus, quò pertinet alia illa *hodie*
ni *Evang.* Parabola. III. *Sub Patribus*, licet illi *humiles, abjecti* & numero
 admodum *pauci* essent, hæreses tamen potenter convicerunt, & Eccle-
 siam, *ceu arborem proceram*, non parum dilatarunt, Ambrosius sub The-
 odosio, Sylvester sub Constantino, &c. quo spectat simile *de grano Sina-*
pis. IV. Illis temporibus, cum Ecclesia ab hæresi non nihil respiraret,
fermento Christianæ fidei imbuta sunt *tria sara* h. e. tres orbis partes, Asia,
 Africa & Europa. V. Illo tempore, ubi fides Christiana per totum or-
 bem propagata est, multi valentes, literati & doctrinis Philosophicis
 excellenter imbuti viri *absconditum illum* Christianæ religionis *thesau-*
rum invenerunt, & conversi summè *latati sunt*, pertinet huc simile *de*
thesauro in agro. VI. Posteris temporibus multi, contemptis mundi opi-
 bus & honoribus, operam dederunt vitæ contemplativæ, ut Lyra qui-
 dem loquitur & *margaritæ* præciosissimæ monachorum confert ordi-
 nes, sed nos rectius intelligemus nostrorum Patrum tempus, ubi multi
relictis Papæ mercibus, præciosissimam illam solius meriti Christi *margari-*
tam, sub Luthero, avidissimè *coemerunt*, doctrinam amplexi Evangelicam.
 Tandem VII. per similitudinè *Sugena* notatur ultimum diem ju-
 dicii proximè antecedens seculum, ubi in propinquo est illa *bonorum &*
malorum piscium *Alexandris* vel *segregatio*. En tibi septem Parabolas, de
 quibus cum *Glossâ Ordin.* rectè dixeris: *Dominus dives quasi paterfamilias*
invitados diversis refecit cibis, ut unusquisq, secundum naturam stomachi sui, va-
ria alimenta suscipere seq, pro libitu recreare posset. Quid autem Parabola est,
 & quotuplex? Ridiculus (1.) omninò est bonus *Simon de Cassia*, qui putat
 Parabolam sic dici, quod *facilem ori vobum paret*, ut videlicet difficiliora
 eò citius capiantur & digerantur; *Parabola*, quasi *parans ori vobum*, quis
 non videt & ridet monasticam ruditatem? nec ab similibus huic notationi
 est & illa, quæ dicit Parabolam sic nominari, quod *paret vela*, vel quod
 rem *velèt ac tegat*, & videtur eo tendere *Dionys. Areopag. l. 1. de celesti*
Hierarch. c. 1. dicens: Sunt Parabolæ sacra quædam *velamina*, quæ
velant non explicata, explicata verò divinas res nobis ac spiritua-
 les aperitunt: *Parabola* quasi *parans vela*; absurda & hæc etymolo-
 gia est, vocem derivans ex ea lingua, cujus nunquam fuit. Pa-
 rabola itaque à *Παραβάειν* est *assimilatio*, vel juxta Ciceronem l. 1.
 de invent. *Collatio*, vel juxta Hieron. in c. 4. Marci: Parabola est *com-*
paratio rerum naturâ discrepantium, sub aliqua similitudine facta; breviter:

Parabola quid
& quotuplex

Para-

Parabolæ sunt εἰκόνες τῶν λεγομένων, *imagines eorum qua dicuntur*, Athan. Apud Hebræos pro Græcorum *ἄλλη* ponitur *מִשְׁכַּל* Mischle, à *מִשְׁכַּל* Maschal, significat propriè *κρείαν γνῶσιν*, *celebre aliquod & authenticum dictum*, quod in oratione veluti dominatur & intellectui fermè imperat, Maschal enim *dominari est & imperare*. Porro (2.) Parabola est, vel *subtilitatis*, vel *vanitatis*, vel *ignominia*, & *irrisionis*, vel *utilitatis*. Subtiles Parabolæ fuerunt ænigmata & hieroglyphica Ægyptiorum, quibus nulla explicatio addebatur, pingebant enim pro anno *serpentem* ore apprehendentem caudam, atq; sic circulo suo anni fluxum atq; refluxum delineantem: pro Deo ponebant *sceptrum*, cum imminente *oculo aperto*, sceptrum Dei *potentiam*, oculus *providentiam* notabat & vigilantiam: pro Magistratu pinxerunt *apiculam*, cujus mel *benignitatem*, aculeus autem *severitatem* hujus ordinis representabat, &c. his Christi parabolæ conferri non possunt, cum explicatio ut plurimum sit addita. Parabola, 2. *Vanitatis* est garrulorum, matæologorum ac hominum mendacium, qui si maximè utantur similitudinibus, nugæ tamen fabulæ, & apologi subsunt rerum nec verarum nec veresimilium, sicut de Bileamo stolido Propheta dicitur, quod Parabolam suam toties assumeret, quoties quidem os aperuerit, Numer. 23. v. 7. 24. v. 3. & ejusmodi parabolis uti Christus voluit nunquam. Parabola 3. *ignominia & irrisionis* est divinæ pœnæ non exigua pars, juxta illud: *factus sum illis in Parabolam*, Psal. 69. v. 12. & alibi minatur Deus, quod velit tradere populum suum *in proverbium*, *parabolam & opprobrium* cunctis populis, 2. Paral. 7. v. 20. Jerem. 24. v. 9. Habac. 2. v. 6. Mich. 2. v. 4. Parabola vero *utilitatis* est, qua usi sunt, Christus & alii sancti, in quorum similitudinibus non oportet nimia sollicitudine perangi *circa singula verba*, sed si primum Parabolæ scopum, ex proparabola & postparabola elucentem, didicerimus, satis est, cum *historia & parabola* ita differant, ut parabola sit *narratio rei factæ, veri similitudinem habens*: historia vero est *narratio rei factæ, similitudinis nihil habens*. Unde Irenæus l. 2. advers. hæret. c. 46. suadet, *non cuivis λόγῳ ac solutionem parabolarum concedendam*, aliàs enim nullam fore *veritatis regulam*. ¶ Observa hic jucundas illas rationes, cur Christus Servator toties parabolis uti voluerit, videlicet (1.) *obscripturarum complementum*, Psal. 49. v. 4. *inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio anigma meum*, Psal. 78. v. 2. *aperiam os meum in parabolis*; & Mich. 5. v. 2. dicitur Messias *Moschel à Maschal, parabolicus vel allegoricus Doctor*.

Ob(2.)

Regula in
standis Para-
bolis summè ne-
cessaria.

Cur Christus
toties Parabolis
usis.

Ob (2.) regni sui conditionem & statum, illud enim nec de hoc mundo est, nec in suafibilibus sapientiae mundanae verbis consistit, sed in demonstratione spiritus & virtutis divinae, 1. Cor. 4. v. 20. Ob (3.) *multiplex Sanctorum exemplum*, videlicet Nathanis, 2. Sam. 12. Esa. 14. v. 4. Salomonis, qui locutus est Misse sive parabolas 3000. 1. Reg. 4. Jobi c. 27. v. 1. Ezechiel profecto in parabolis tam fuit assiduus, ut conqueratur, se propterea passim traduci: *Ah, ah, inquit, Domine, ipsi de me dicunt, nunquid non hic meras nobis parabolas loquitur*, Ezech. 20. v. 49. Propter (4.) *utilitatem insignem cumulum*, quia jucundum est & utile, homines per terrena ad caelestia, per visibilia ad invisibilia, per temporalia ad aeterna, per nota ad ignota, &c. deducere, cum Rhetores pro magno artificio agnoscant *καὶ τὰ κρυφὰ & κρυφὰ καὶ κρυφὰ* tractare, *schwere ding leicht machen* / vnd schlechte ding dermassen herausstrecken / das mans für hoch vnd vnd groß halten muß. Tandem (5.) toties parabolis usus est Christus, ob morem sua terra hominibus usitatum. *Familiaire namque Syris est, & maxime Palestinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere*, Hieron. in c. 18. Matth. Clemens Alexand. l. 5. Strom. *Antiqui parabolis referti sunt, quia simpliciter, & rei demonstranda causa loquebantur.*

Simile est regnum caelorum.] Intelligitur non regnum gloriae, in quo nec seminabitur amplius, post collectam novissimo die messem, nec ibi locum habent ulla zizania, nec illorum quicquam, de quibus hic agitur, Hunn. Sed regnum gratiae, hoc est, militans in his terris Ecclesia, quae regnum caelorum dicitur, quia (1.) ut habitat Deus in caelo per gloriam, sic in Ecclesia per gratiam, Esa. 31. Exod. 20. quia (2.) Ecclesia differt à regno mundano, Joh. 18. v. 36. nec immeritò caeli porta dicitur, Chrysost. hom. 44. oper. imperfect. quia (3.) vera veræ Ecclesiae membra quaerunt ea, quae in caelis sunt, & non quae in terris, Col. 3. v. 1. Philip. 3. v. 20. quia (4.) Ecclesiae dona & bona non terrena sunt, sed caelestia, hæreditas, iustitia, &c. caelestis. ¶ Observa hic, utut jucundus sit ille Ecclesiae titulus, quod scilicet dicitur: *Regnum caelorum*, non tamen eo abutendum est cum Papistis, qui dicunt regnum caelorum dici Ecclesiam non Veteris, sed Novi tantum Testamenti, idque ob insignes has prærogativas, quod nunc sine medio, per portam mortis, transitus pateat in caelestem patriam, cum ex Synagoga nemo transferret in caelum, sed portam tantum tunc fuisse apertam *in limbum*: quod,

Ecclesia cur regnum caelorum dicatur.

Splendidus Ecclesia titulus male Papista utuntur.

que Ecclesia N. T. cum regni cœlestis civibus eodem cibo utatur, corpore scil. CHRISTI, cum in veteri Synagoga Sacramenta & Sacrificia corporalia tantum fuerint, nihil spirituale conferentia. *Coster. in Cono. part. 2. p. 403.* Sed licet libenter concedamus Ecclesiam N. T. quoddam veluti *suburbium* esse *regni cœlestis*, unde etiam nostros homines monemus, ut in hoc gratiæ regno poenitentiam agant, peccata sua confiteantur & illorum petant absolutionem, &c. Hæc enim omnia in regno cœlorum rata esse. Attamen privilegia Ecclesiæ N. T. ex Costero jam allata nulla sunt. Quis enim nescit Limbum illum patrum merum monachorum figmentum esse, cum per gratiam Jesu Christi credamus nos salvari, ut & patres ita salvati sunt, Actor. 15. v. 11. Sacramenta etiam V. T. *vacua* tantum fuisse *ceremonias* & nihil attulisse spirituale, quis credet, cum dicantur sigilla justitiæ, Roman. 4. v. 11. & num inefficacem putabimus illam promissionem in circumcisione datam. *Ero Deus tuus, & seminis tui post te*, Genes. 17. vel, ut alibi: *scribam pactum meum* (pactum circumcisionis) *in corda eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius*, Jerem. 31. v. 33. Tandem Ecclesiam V. T. regnum cœlorum non fuisse, falsissimum est, cum Judæi expressè dicantur *filius Regni*, ejecti ex illo gratiæ regno, in quod olim sint successuræ gentes, Matth. 8. v. 12. 21. v. 43. 23. v. 13.

Simile est homini.] Intelligitur per hunc hominem non seminator *Isaas*, Gen. 26. v. 12. nec *Ægyptiorum rex Osiris*, nec *Ceres* illa gentilium, quibus olim agriculturæ inventio assignata est, sed homo seminator, vel juxta Syrum: *Vir seminans* est Christus Jesus, Dei & Mariæ filius, qui colono rectissimè confertur, *ratione* (1.) *officii*, ut enim Adam è paradiso emittebatur, quò terram maledictam coleret & fertilem eam redderet, Gen. 3. Sic & Christus è cœlesti paradiso in mundum ideò venit, ut agrum sibi pararet in sterili hoc mundo, spinas & tribulos proferente indeq; maledictioni proximo, Heb. 6. v. 8. *ratione* (2.) *laboris exantlati*, ut enim agricultura res laboriosa est, Syr. 7. v. 16. Sic & Christus Ecclesiæ agrum excoluit, non modo in sudore vultus, ut de Adamo dicitur, sed in sudore sanguineo & labore gravissimo, Esa. 43. v. 25. *Ratione* (3.) *desiderii*, ut enim colonus omnem agri sui partem fertilem optat & frugiferam: Sic & Christus omnium hominum salutem avidè desiderat, 1. Tim. 2. v. 4. *Ratione* (4.) *ordinis* in agricultura *obserpandi*, sit enim hic *elapidatio* per legem Ezech. 36. v. 26. *aratio* per crucem, Psal.

Cur colono
Christus con-
feratur.

cem, Pl. 129. v. 3. *stercoratio sanguine martyrum: Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine coepit, sanguine succrevit, sanguine finis erit.* Irrigatio fit per gratiosum verbi imbrem, Pl. 68. v. 10. *calefactio caelitus fit per Spiritus S. gratiam & illum iustitiae solem,* Mal. 4. v. 2. *Satio vel seminatio fit per Evangelii praedicationem, &c.* Alii agriculturam hodierni Evang. spiritualem ita depingunt, ut dicant *γεωργίας* requisita primaria quatuor esse, 1. *Colonum* habet ager *sedulum*, 2. *pingue* evchatur *fimetum*, 3. *semen* ejiciatur *foecundum*, 4. *caelum* experiatur *benignum*. *Colonus* omnino *sedul^o* est *Christus*, cum omnibus fidelibus Ecclesiae ministris, qui propterea in agricultura spirituali Christi *σὺν γεωργοι* dicuntur, 1. Cor. 3. v. 9. *Fimetum* satis pingue est, *sanguis sc. martyrum*, ubi *ex una guttula multi pullularunt Confessores in Ecclesia agro*, Tertull. Tandem calor ille Spir. S. annon satis foecundus, &c. ¶ *Observa hic summam veræ Ecclesiae majestatem, Majestas vera Ecclesia.* cum non hominis illa sed ipsius Dei sit *γεωργίων*, 1. Cor. 3. v. 9. *Altissimus Hierosolymæ* dicit, esto *ædificata*, & templo esto *fundatum*, Es. 44. *Zemah Christi templum ædificabit, imò templum ædificabit*, Zach. 6. si a Ecclesia ipsius Dei agricultura est & op^o, hic sanè opifex opus suū nunquam deseret, sed fortiter fundata est domus Dei in montibus sanctis, Dominus portas Sion diligit, super omnes habitationes Israel, Pl. 87. v. 1. contabescant gentes, cadant regna, mundus pereat, intereat, exhilarata tamen manebit civitas Dei sancta, cum suis fontibus & sanctorum habitationibus, quia Dei opus est, Psal. 46. v. 6. 7. Oremus ergo: *Benefac Sioni secundum gratiam tuam! ædifica muros Jerusalem*, Psal. 51. & hoc tutore salvi erimus, nec à Zizaniis supprimemur.

Seminanti bonum semen in agro.] *Bonum non seminat nisi bonus*, inquit *Glossa Interlinearis*, nec licebat olim Colonis quid pro quo sulcis mandare, sed bonum, mundum, selectum unumque semen, ut mandatum, Lev. 19. vers. 19. sic & CHRISTUS ejicit semen omnino Bonum, καλόν & pulchrum, quod est *fides Catholica*, juxta *Lyranum*: vel VERBUM DEI, ut exponitur ab ipso Christo, Luc. 8. v. 11. *Quod autem agrum CHRISTI Servatoris attinet, illum quintuplicem Ager Christi veteribus quintuplex.* veteres fecerunt, 1. est *caelum*, ubi DEUS naturam quidem angelicam seminavit, sed Lucifer *superbiae Zizanion* injecit, 2. est *Paradisus*, ubi iustitiae & sanctitatis semen primis parentibus insitum, sed Satanas *inobedientia lolium* miscuit, 3. ager est *mundus*, quem DEUS variis creaturis jucundissima harmonia concordantibus replevit, sed Diabolis

bolus varia *confusionis* *Zizanium* iniecit. 4. ager Christi est *Ecclesia*, quæ pro femine optimo, ab optimi Satoris manu habet verbum Salvificum, sed Satanæ *lolium hereseon & scandalorum* admiscet. Et tandem 5. ager Domini est *Anima hominis*, cui si Christus inserit fidem & charitatem, admiscet Satanæ incredulitatis, crudelitatis & variorum scelerum *Zizania*, &c. ¶ Observa hic, I. Jucundas illas rationes, cur verbum Dei comparetur Semini? fit hoc (1.) *ob detestandum verbi contemptum*, ut enim semen respectu agri, exile est & vile aded, ut pedibus sæpe conculcetur, sic verbum stultitia est coram mundo, & nemo ferè non pedibus illud conculcat, 1. Cor. 1. v. 23. (2.) *ob muneris concionatorii difficultatem & onus gravissimum*, ut enim seminare labor insignis est, & in agricultura verè primarius, quo exantlato colonus ad messem usque quiescit: sic prædicare verbum corpus enervat, multisque curis cor onerat, *dormit secure, cui non est concio cura*, Eccles. 1. v. 18. 12. v. 12. (3.) *Ob divina benedictionis necessitatem*, ut enim qui seminat nihil est & qui plantat, sed Deus, qui largitur incrementum, 1. Cor. 3. sic in Ministerio Ecclesiastico *sine Patris numine, & sine Nati lumine, & sine Flatus lumine nihil est in homine, præter omne noxium*. (4.) *Ob fertilitatem*, licet enim aliquod semen pereat, potissima tamen pars fructum fert; Deo benedicente: sic verbum frustra prædicatur nunquam, Esa. 55. non labor in Domino vester inanis erit, 1. Cor. 15. Attamen (5.) Ut semen fructificat non in horreo reclusum vel sacco absconditum, *sed sparsum & in terram projectum*: Sic & verbum sterile relinquitur, nisi in animos hominum & aures disseminetur. Sub Papatu admodum parci fuerunt in spargendo hoc semine, prodigi autem missarum & indulgentiarum, unde exiguum etiam fructum, qui Deo placuisset, protulerunt. ¶ Observa II. Christi quidem agrum citra controversiam esse Ecclesiam, attamen Matth. 13. v. 38. dicit Christus agrum suum Mundum esse, cur hoc? quia Ecclesia est *in mundo*, colligitur *ex mundo*, dilatatur per mundum, imò Mundum suum agrum nominare Christus voluit, ad differentiam V. T. ubi Ecclesia inclusa erat angustiis promissæ terra terminis: in N. autem T. ager Christi dispersus est *per totum terrarum orbem*, Matt. 8. v. 11. 28. v. 19. Marc. 16. v. 1. 5. Errant ergo Pontificii, qui Christi agrum alligant sedi Romanæ & dicunt esse de necessitate salutis, ut omnis anima Romano Pontifici obediat: cum tamen omni tempore plurimi populi & gentes in orbe fuerint, quibus vel nomen etiam Pontificis ignotum, quos tamen &

*Cur verbum
Dei semini con-
feratur.*

*Ager Christi per
totum mundum
se extendit.*

communione agri Domini excludere non possumus. Ist doch wol ehe des Pabst Legaten / Carolo von Miltitz / geantwort worden / man bestimme sich in Teutschlandt nicht drumb / was der Pabst für einen Saul habe / ob derselbe Hölzern oder Steinern sey? Phil. Mel. in vita Luth. Die Wor- gentänder haben niemaln den Pabst pariren wollen / sed Græci Johanni 23. Pontifici rectè rescripserunt: *Potentiam tuam novimus, superbiam tuam tolerare non possumus, avaritiam tuam explere non valemus, Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.*

Dormientibus autem hominibus.] Somnus intelligi hic duplex potest, *securitatibus videl. & mortis*, 1. Dormientibus hominibus, h. e. securis & Concionatoribus, & Gubernatoribus, & Patribus-familias, vigilat Diabolus, *ut Episcopus maxime sedulus*, sicut Satanam *Lattimerus, pius Vigorniensis in Anglia Episcopus & martyr* nominabat: cum n. Sacerdotes Anglici plurimi valde negligentes essent, excitavit illos Lattimerus exemplo Satanæ, dicens: *Es were in ganz Anglia kein fleissiger Bischoff als eben der Satan*, qui otiosus aliis, maxime sit negotiosus, ac proinde illos imitari debere Satanam, qui Deum sequi nolint: hic est primus somnus, *cum dormirent homines*, id est, *cum inertia & incuria torperent*, Gloss. Interlin. Altera dormitatio Mortis est, quando videlicet pii huic mundo valedicunt, tunc Satanus strenuus est, sicut lupus in ovili, dormientibus & pastore & canibus. Pulchre autem hac phrasi depingitur Satanæ malitia & perversitas, nam *Fortis conflictum petit, palam provocat, & coram omnibus vincere cupit: Diabolus verò, quia Insidiator est, in noctibus latitat, vigilantes fugit, dormientes appetit, at exiguò suo commodo, nam esto quod dormiant servi, nunquid & Dominus dormit? nunquid ejus oculos ulla lassitudo vincit? Inimice vigiles, lucis refuga labores, non latebis, nam dormientibus servis, Dominus ipse te videt* Chrysof. hom. 97. ¶ Observa hic I. orandum esse Deum, ut fidos Ecclesiæ, Politicæ & Oeconomice Admini-

Pro bona valitudine Doctorum, &c. diligenter orandū.

tristratores in seram usque senectutem salvos conservet & nobis relinquat, quia dormientibus & defuncto diluvium primum vastat mundum: *Baptista* mortem sequuntur hæreses in populo Judaico: *Apostolis* defunctis *in finitæ propemodum hæreses eruperunt, cum Ecclesia ante virgo fuerit*, Egrippus apud Euseb. mortuo *Augustino*, *Ariani* grassantur mortuo *Luthero*. Interim ferme non obtruditur, mortuis egregiis illis Theologis *Hunnio, Rungio, Gesnero, Mylio*, Catechesis Photinianorum Raccoviana

Wittebergensibus insinuatur: mortuo *Sacco* pestis vehementissima nostram vexat urbem A. 97. &c. In *Politia* mortuo *Iosepho* oritur *Pharao*; defuncto *Gedeone*, *Abimelech* sequitur truculentus: *Iosua* ad plures abeunte, quæ non calamitates sequuntur, &c. In *Oeconomia* defunctis & dormientibus piis parentibus quoties liberi degenerant & in scædum evadunt *Zizanion*. ¶ *Observe II.* *Ecclesiæ* præsidibus omninò fugiendam esse *ignaviam*, cum dormientibus nobis, vigilet ille infernalis inimicus. Maledictus ergo sit, qui opus Domini facit fraudulenter, *Jerem.* 48. *Non dormiat, qui Ecclesiæ præpositus est, ne per illius negligentiam inimicus homo superseminet Zizania*, *Hieron.* l. 2. in *Matth.* sed orems potius: *Exurge Domine, ne confortetur impius*, *Psal.* 9. VII.

Ministris Ecclesiæ fugienda est ignavia.

Cum Satana non ludendum.

Venit inimicus ejus.] *Syrus*: *inimicitia autor*, genuinum hoc & maximè proprium *Diaboli* nomen est, ut qui verè *Inimicus & Dei & hominum*, hinc statim post lapsum dicebatur: *Inimicitias* ponam, *Gen.* 3. *Petrus* *Satanam* similiter nominat: *ἀντιδρόν, hostem*, qui in iudicio se nobis opponat, qui nobis dicam scribat, *Luth.* vertit: *Widerfacher* / *I. Pet.* 5. hinc etiam *Ecclesiæ*; *der alte böse Feind* / *re.* ¶ *Observe* itaque hic, I. *Diabolum* non *amicum* sed *inimicum* esse omnium omninò hominum, id quod multi usque aded non credunt, ut putent, res amissas, *Satanæ* consilio & auxilio recuperari posse: *Sanitatem* per *Dæmonem* redintegrari posse: *Divitias* per *Diabolum* & ejus artes parari posse: *scientiarum* & *mularum* rerum *notitiam* per *spiritum aliquem familiarem* addisci posse, imò multis in quotidiano sermone usque adeo familiaris *Dæmon* est, ac si non *inimicus*, sed potius *intimus noster* & *optimus amicus* esset. *Dhn zweiffel/der geschworne vnd abgesagte Feind aller Christen wird dir dein verlohren Gut / durch Crystallseher wieder schaffen! Er wird dich / wenn du frant / durch Wicker vnd Segensprecher wieder gesundt machen! Er wird dich durch Schäs graben / Cubult nehren / vnd den Altraunfugen reich machen. Er wird dich durch Zauberen vnd Schwarkunst gelart machen!* ad *calendas Cræcas* hoc fiet. *Agnosce* itaque *Diabolum* pro *inimico tuo*, & ora: *Führ vns Here in Versuchung nicht / Wenn vns der böse Feind ansicht / etc.* Ach lieber *Hex* behüt vns heint / vnd allweg für dem bösen Feind. Si enim *tantum nocere Dæmon posset, quantum nocere vellet, nemo sanctorum remaneret*, *Chrysost.* *cum audis de Inimico homine, jam sortè cogitas de vicino tuo, de illo qui tecum in foro litem habet, de illo qui tibi vult auferre possessionem, de illo qui te vult* -preme-

premere, ut vendas illi domum tuam: noli ista cogitare, sed illum semper Hostem time, de quo Christus: Inimicus homo hoc fecit, Aug. in Psalm. 40. p. 366. ¶ Observa II. hic veram omnis mali causam & originem. Non est illa aliquis Deus malus, quem Manichæi σκοτον dicebant, illique omne malum adscribebant. Nec fatum aliquod, cui gentiles multum tribuebant, & dicebat servus ille: Fato furatus sum, cui alter re-ctè: Et Fato suspendèris. Nec mali causa est ἔλη quædam seu materia vitiosa, omnibus voluntariè agentibus insita, de qua multum fabulabantur antiquiores Peripatetici. Nec mali causa est Iehova altissimus, de quo hodieque alicui ἄνωτος ἐμὲ ἐπαλάττειν, ipse (Deus) me decepit, ipse mihi mandavit impie agere, ὡς τὸ Θεὸς περιεζήσομαι, à Deo ad malum tentor, Syr. 15. v. 11. & 21. Jac. 1. v. 13. Sed Dii esse Dii cessant, mali si quid patrant, Eurip. nec Deus peccatore opus habet, Eccles. 15. v. 12. Quod itaque hic adscribitur Inimico seu Diabolo, qua fronte id Calviniani DEO adscribunt, dicentes: Deum malè agere non permisivè tantum, sed & effectivè, Szegedin. in loc. com. p. 33. Mala ipsum in nobis quoquo modo operari, non permittendo tantum, sed & agendo, Martyr. in c. 3. Jud. Ad flagitia eum impellere, Vi actuosà & effectrice, Piscator in Præfat. disp. de prædest. Sed nos ex hodierna Parabola semper respondemus: Non bonus seminator, sed inimicus ejus hoc facit, Diabolus mendax est & homicida ab initio, Joh. 8. vers. 44. & qui peccatum committit ex Diabolo est, 1. Johan. 3. vers. 8. Ut DEI congregare, sic Satanæ est dispergere, Luc. 11. vers. 23. nec DEUS & Belial unquam convenient, 2. Cor. 6. vers. 15. Nemo itaque dicat mali Deum autorem esse (mali scilicet culpa & delicti, de malo enim pena & supplicii hic non agimus) quia satius esset sexcenties desodi, quam talia per nos de Deo audiri, Chrysoft. hom. 23. in Act. Concurrit Deus in malo ita, ut antequam fit prohibeat, Psal. 5. vers. 5. 30. vers. 7. 44. vers. 8. Ut dum fit cohibeat, Esa. 8. v. 10. & dum factum, ut ad bonum finem adhibeat, Genes. 50. vers. 20. Actor. 2. vers. 23. 4. vers. 28. Vel, concurrit DEUS in malis actionibus, 1. præsciendo, quæ tamen præscientia nullam infert necessitatem, id quod Veteres similitudinibus Medici & Mathematici solent demonstrare. 2. Naturam sustentando, Actorum 17. vers. 28. ubi tamen distinguendum inter actionem ipsam & actioni adharens vitium, actio, ut actio, non est peccatum, aliàs omnes actiones essent peccata, sed vitium & defectus in actione est peccatum, prius à DEO est, ut à causa universalis, posterius ab homine, ut à causa proxima. Summæ autem

mise-

miseriordix est, quod DEUS sustentat illa membra, per quæ contumelia afficitur, sed ita ad pœnitentiam nos invitat, si enim peccator statim periret, quomodo rediret? Rom. 2. vers. 4. Concurrit Deus in malis (3.) *permittendo*, quia non sequitur: *Peccata non sunt DEO nolente, Ergo volente*, cum inter Dei velle & nolle tertium quasi sit, *permissio*, Act. 14. vers. 16. Concurrit (4.) *deserendo* non impertit malitiam, sed non impertit gratiam, *indurat quando non emollit, excœcat, quando non illuminat*, Aug. ubi tamen notandum, à DEO neminem desereri, nisi prius ipse deseratur. Sic Saul rejicit verbum, idèd rejicitur, 1. Sam. 15. vers. 26. Concurrit (6.) in malis Deus *Satana tradendo*, ut justus iudex, qui antegressa peccata punit in Pharaone, Exod. 4. in Pseudopropheta, 1. Reg. 22. v. 20. Tandem (7.) concurrit Deus in malis *metam præfniendo & finem bonum eliciendo*, Deus enim, qui summè bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, *nisi aded omnipotens esset & bonus, ut benefaceret etiam de malo*, Aug. in Enchirid. c. 11.

Et seminavit zizanium.] Zizanii vocem quod attinet, celebres testantur Græci, se eam non legisse, præterquam in Evangelio & paucis patribus, vocant itaque aliàs lolium *αιεα*, quasi *φθαιεα* à *φθειρεν* corrumpere, quia lolium frumenti *φθειρεα* est & corruptio: Zizanium autem dictum putant literati quasi *σπιριον*, *corruptivum, perditivum, παεα* τὸ σπειν τὸν σπιν tritico enim ut pestis nocet, vel zizanium quasi τὸ σπιν *σπιν* [*σπιν* affideo, adhareo,] lolium enim triticum amat, & ut umbra illud sequitur. Syrus retinuit vocem *זיזאני* Zizane, in Evangelio autem Matth. Hebræo lolium dicitur *Hadul*, quod propriè urticam significat & sentes, & videtur ad nostrum quadrare textum, quia sentes & spinæ igne cremantur propriè, postquam eradicatæ ad solem aruerunt, id quod de lolio apud nos dici non potest. Cum latino (lolium) concordat Germanorum: *Solch* vel *Sulch* &c. Quæritur autem, quid propriè sit intelligendum per Zizania? confusè ut plurimum dicunt Patres intelligi *Hæreticos, Schismaticos, Hypocritas, Empectas, Epicuræos, & omnis generis impios*: Zizania sunt *amatores mundi; amatores pecunie; amatores deliciarum; consultores nugarum; omnes querentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi; omnes in Ecclesia sicte intrantes; omnes promittentes & non facientes; vorantes & non reddentes; renunciantes malo & non facientes; hæc amantes zizania sunt*, August. Serm. 232. de temp. pag. 1104. S. Paulus

Der schützet auch das weite Seetuch des hellischen Nachtraben rechtschaf-
 fen aus/dicens: Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, immundi-
 tia, &c. Gal. 5. & Aug. pulchrè: Diabolus in omni nostro opere Zizania semi-
 navit, in comestione posuit gulam: in generatione luxuriam: in vocationis officiis
 ignaviam: in conversatione invidiam: in gubernatione avaritiam: in correctione
 iram: in dominatione superbiam: in corde seminat cogitationes malas: in ore locu-
 tiones falsas: in membris operationes iniquas: in vigilando movet ad mala opera:
 in dormiendo ad turpia somnia: letos movet ad dissolutionem: tristes ad despera-
 tionem, &c. Vel ut Chrysoft. Serm. 96. Dæmon seminat, inter fideles hæreses:
 inter Sanctos peccata: inter pacificos lites: inter simplices dolos: inter innocentes
 nequitiam, &c. Attamen distinctius videtur dicendum, per zizania in-
 telligendos esse tantum Hæreticos & hæreses, quia (1.) ut per bonum
 semen intelligendum est verbum, sic, ex opposito, per zizania hæreses:
 quia: (2.) extirpatio zizaniorum prohibita, si ergo omnes impios per
 illud intelligas, sequeretur nullum planè facinorosum è medio tollen-
 dum: quia (3.) impii & scelerati aliàs comparantur paleis, quæ à tritico
 separari non possunt, Matth. 3. v. 12. Sed nolumus in paternos cineres
 mingere, ideo retinemus communem expositionem: Wenn Christus
 seet fromme/andächthige/Gottselige/rechtgläubige Menschen / so streuet
 der Teuffel dazwischen Schälcke / Buben / Gotteslästerer / Epturer/
 Verächter des Wortes vnd der heiligen Sacramenten / vngehorsame
 Kinder / Gefinde vnd Unterthanen / Aufrührer / Mürker / Pfeiffer/
 Rothman / Johan von Leyden / Knipperdölling / Sacramentirer / Wider-
 räuffer / Manicheer / Entychianer / Nestorianer / Mörder / Diebe / Hurer/
 Retmeydige / Lügner / Verleumbder /c. Saccus. ¶ Observa hic I. in-
 firmitatem Diaboli cujus potestas verè sub potestate est, & rectè Ec-
 clesia canit: Princeps in orbe ringat furore, nocere nequit-cum judicatus sit, &c.
 Der alte böse Feind / wie sauber ers auch meynt / thut er vns doch nicht.
 Inimicus enim ille infernalis, cur non evellit triticum? cur non suffo-
 cat? cur non urit non potest, hinc fraudulenter super seminare sua niti-
 tur: non timeat itaq; hostem fortem, qui novit se Dominum habere fortio-
 rem, Chrysoft. ¶ Observa II. pessimè à Pontificiis, ex hodierna colligi
 Parabola, doctrinam Lutheranam zizanium esse, id quod his probare
 rationibus conantur, I. quod bono semini & tritico super seminatur, il-
 lud est zizanium: sed in omnibus mundi locis, cum jam bonum illud
 semen Catholicæ religionis floreret & vigeret, superfeminatum est

Potestas Diabo-
 li sub potestate
 est.

Lutheri doctri-
 na non est Zi-
 zanium.

quintum Lutheri Evangelium, Ergo. II. quod uniforme non est, sed multiplex prodit, illud est zizanium, vel in plurali *Zizania*, ut non sine causa Spiritus S. est locutus: Sed novum Evangelium *multiforme* est, produxit Synergistas, Majoristas, Flacianos, Zvinglianos, Antitrinitarios, Anabaptistas, &c. ut in agro zizania dicuntur, *Eolch/ Dress/ Raedel/ Hedrich/ Wicken/ Wolffsmilch/ &c.* Ergo. III. quod à Diabolo est, utiq; zizanium est, sed ipse Lutherus fatetur se suam doctrinam habere à Diabolo, Tom. 6. Jen. Ergo. IV. quod non continuò crescit à fatione ad messem, id non est triticum sed lolium, atqui Evangelium Lutheranum *omni successione destituitur*, nec cum prima Apostolorum fatione cepit, nec ad seculi consummationem durabit, &c. Ergo. V. quod fructus profert pessimos zizanium est, sed Lutherana doctrina nec tulit nec ferre potest nisi pessimos fructus, Ergo, &c. Sed respondeamus ad I. seminavit in Paradiso Diabolus mendacia, protevangelium autem *superseminatum* est, num illud propterea zizanium dicemus? Genes. 3. seminatus jam erat pharisaismus, Christi autem, Baptista & Apostolorum doctrina *superseminata*, nec tamen zizanium dicenda; imò in Bohemia, Austria, Moravia antehac Evangelii doctrina syncerè aliquot annis seminata, jam autem à Jesuitis Papismus superseminatur, ergo & ille zizanium erit? Sic itaque tenendum, nostra doctrina antiquissima est, non à Luthero primùm, sed ab ipsis Prophetis & Apostolis seminata, inimicus autem homo Diabolus ejusq; proles Antichristus supervenerunt & zizanium acatholicum *superseminarunt*. II. Apostolica doctrina etiam prodiit cum doctrina Hymenæi, Phileti, Nicolaitarum, Ebionis, Cerinthi, Simonis Magi, &c. num propterea est zizanium? Papistica etiam doctrina annon multiplex prodit & in tot divisa ordines, Augustinianorum, Bernhardinorum, Dominicanorum, Franciscanorum, &c. ergo & illa erit zizanium. Sic ergo tenendum, distinguendum inter id quod *per se fit* & *per accidens*, doctrina Evangelica tot sectas nec peperit, nec approbavit unquam, sed inimicus hominibus venit & per sua organa talia adjecit. III. Lutherus nunquam dixit se suum Evangelium à Diabolo accepisse, sed conqueritur saltem, allegato loco, se à Satana gravissimè tentatum esse, super negotio de missa angulari, cui annis tredecim ante valedixerat. IV. In nostra Parabola expressè dicitur, quod ad messem usque durare debeat utrumque, & triticum & zizanium, non itaque bonum tantum semen, sed & zizanium

nium suam habet successionem, imò ut triticum crescere possit, erucanda sunt zizania, cum itaque sub Papatu triticum mixtum esset zizaniis, opus utiq; fuit in nostris Ecclesiis, non *novâ* quidem *seminatione*, sed saltem *repurgatione* illius doctrinæ, quæ omninò cum satione Apostolica cœpit & ad consummationem usque seculi durabit, *rumpantur ut illa Jesuitis!* Tandem V. Catharorum est & Donatistarum, in Ecclesiæ agro nulla profus agnoscere velle zizania, cum tamen ea sanctissimi etiam Patriarchæ eradicare profus non valuerint, & boni Papistæ quid tandem dicent de malis fructibus nostræ doctrinæ? proprias purgare ædes debebant, & sordium satis erit. In vita anno pessimi fructus sunt, quod ipsi Pontifices Romani *Magi, Simoniaci, concubitores masculorum, & abnegatores primariorum fidei articulorum* fuere? In doctrina, annon pessimi fructus sunt *cultus electitii, idololatria, scriptura contentus, dubitatio & dissidentia, perjurium contra Magistratum, parentum contentus* elucens in illis, qui Monasteria ingrediuntur, &c. ¶ *Ob-* Impietas verd
Zizanium.
serva III. impiorum, vel ut Christus v. 41. loquitur, *eorum qui parant iniquitatem*, cum zizaniis magnam esse convenientiam. Nam (1.) ut zizaniam oculos tantum oblectat, & præter externam speciem nihil utilitatis habet: sic hypocritæ induunt *picta sanctitatis & hæretici ficta veritatis* speciem, cum aliâs profint nihil. Ut (2.) zizanium tritico mixtum est, sic ubi David ibi Saul, ubi Christus ibi Judas, ubi Petrus ibi Ananias, ubi Paulus ibi Nero, ubi veritas ibi mendacium, &c. Propter (3.) vim nocendi, ut enim zizania triticum suffocant, sic impii succum & sanguinem piis subtrahunt, Mich. 5. Ezech. 22. Zizanium (4.) farinæ mixtum vertiginem parit & vomitum: hæresis vertiginosos reddit homines, & nauseam parit Christo, qui tales evomit ex ore suo, Apocal. 3. Colonus (5.) odit zizanium, *Er siehts nicht gern*/sic impios, quantumvis in mundo magnæ autoritatis, odit tamen Deus & ipsius anima eos detestatur, Psal. 5. Zizanium (6.) etiam trituratatum bonum tamen semen non reddit, sic impii cruce etiam pressi, non tamen emendantur, Prov. 27. v. 22. Zizanium (7.) ut ventilabro discussum dispersitur: Sic impii paleæ sunt à vento disjectæ, Psalm. 1. ventus peccatorum abducit eos, Esa. 64. Zizania (8.) ut fornacis nutrimenta sunt: sic impii æterno igne comburentur, Matth. 3. Attendat proinde quilibet nostrum ne sit infelix lolium, sed oret potius:

*Non sum lata seges, lolium sum triste, sed oro
Me tamen in messem collige, Christe, tuum.*

In medium tritici.] Græc. ἀνὰ μέσον τῶν σίτρων, per medium tritici. Omnia autem hic valde tristia, novit (1.) Satan & locum & tempus, ubi & quando verbi semen spargitur, ut corvi à seminante non procul absunt: nec hac notitiâ (2.) contentus est, sed alienum ingreditur agrum, & lolio inficit non sua sed Christi arva, si enim Diabolus peculiarem in certo aliquo loco sibi Ecclesiam colligeret, facilius ea agnosceretur, ideoq; ut cuculus in nidum alienum ova sua ponit. 3. lolium seminat non juxta triticum, in agri margine, sed in medio tritici, unde optimæ Ecclesiæ nocentissimas pelles ferre coguntur, 4. Seminatione tritici jam facta seminat & ille, h. e. parum de illis laborat Satan, qui de Deo & Christo nihil sciunt, maximè autem iis insidiatur, quibus jam Evangelium prædicatum & cor ita præparatum est, ut sit ager Dominicus. (5.) Abit Dæmon, latet in latrone, subducit se in incremento, Man sol es nicht mercken / Er ist nie da gewesen / abscondit pedes, tegit vestigiam ore lupi, Er streicht die Spuer hinter ihm zu / transformans se in lucis angelum, 2. Cor. II. v. 14. dicitur abire, non quia ab impiis discedit, sed quia novam vestem induit suasq; suggestiones palliat jam fucō necessaria reformationis, jam fucō necessarie fraternitatis & concordia, jam pietatis & devotionis singularis prætextu, &c. ¶ Observa hic hæreticos & omnes impios verè esse in Ecclesia, licet non sint de Ecclesia, undè etiam illa ab omni errore libera ac immunis dici non potest. Equidem Cathari, Novatiani, Anabaptistæ & Papistæ Zizanium in extremo agri Ecclesiastici margine quærunt, nec fieri posse putant, ut erret ille cœtus qui Spiritum S. & ductorem & veritatis Doctorem habet. Sed in nostra Parabola expressè dicitur, seminare Dæmonem lolium in medio tritici, & profecto aliud est à Spiritu S. duci & Spiritum S. sequi, si sola Spiritus S. præsentia sufficeret, primi nostri parentes labi non potuissent, erant enim viva Spiritus S. templa, lapsi autem protoplasti sũnt & errant omnes illi, qui ductum Spiritus S. deserunt. Sic in medio tritici Corinthiaci reperitur incestuosus: in medio tritici Galatici magna stultorum ac falsinatorum copia reperitur, Gal. 3. v. 1. in medio tritici Ephesini reperiuntur viri loquentes perversa, Act. 20. v. 30. sic in medio templi Dei sedes Antichristus, 2. Thess. 2. v. 4: in media Ecclesia Pergamensi reperiuntur impuri Nicolaitæ, & Satanæ Scholæ, Apoc. 2. v. 13, & 15; Adhæc
ex no-

*Impii sunt in
Ecclesia, licet
non de Ecclesia.*

ex nostro Textu responderi potest Papistis in eo, quod putant esse contra Ecclesiæ promissam, *perpetuitatem* si dicamus, Antichristum plus mille annis errores suos in Ecclesia sparsisse, perinde hoc argumentari est, ac si dicerem: *in agro lolium est, ergo triticum non est*, multiplicitas certè errorum superioribus sæculis tollere usq; adeò non potuit veritatem Ecclesiæ, ut jam revelatus sit omnibus homo ille peccati & perditionis filius, *quod enim latet in herba, manifestatur tandem in spica, & quod celatur in gramine, in fructu tandem aperitur*, Chrysol. Serm. 97.

Accedentes autem servi.] Per servos hîc intelligunt, quidam angelos, alii Ecclesiæ ministros, alii omnes Sanctos; Lyra dicit servos esse Patres primitivæ Ecclesiæ antiquos. Sed per servos non videntur angelli notari, quia servi hîc inimici factum ignorant, de angelis verò dici nequit, quod ignorent, quid Satanus in mundo agat: intelligantur, itaque Ecclesiæ ministri & omnes pii, qui ingemiscientes dicunt: *Domine, nonne bonum semen seminasti?* ubi notandum (1.) hos servos Zizaniorum ignorare originem, quia dormierant; sic multa ignoramus, quia pigri sumus, quia dormimus, indeque nescimus illa, quæ alioquin labor improbus & vigilantia facilia reddere poterant, *Es wird viel verschlaffen*. Dominus (2.) licet ipse non seminarit, sed procul dubio, per servos suos, expedierit in agro omnia, servi tamen, pro insigni modestia sua omnem suum laborem Domino adsignant, dicentes: *Nonne Tu bonum semen seminasti*, quasi dicerent: *Seminasti, non seminavimus, nos quod per te facimus, tibi semper nostro assignamus auctori, qua enim facienda nobis præcipis, in iis tu ipse operator assistis, tu quod vis, unde vis, quando vis, habes: nos præter tuam gratiam nihil habemus, per quam stamus, vivimus, movemur & sumus, & sine qua jacemus, desicimus & perimus*, Chrysol. Modestissime (3.) hi servi de suo Domino sentiunt, non adscribentes ei zizaniorum causam, noverunt enim Domini curam, sedulam agriculturam, & seminis præstantiam. Studiosi (4.) sunt hi servi, inquirunt & erudiri cupiunt, indignantur (5.) & zelum cœli peculiarem habent, quæ omnia laudanda.

¶ Observa hîc concessum esse piis, ut de malitia impiorum, conquerrantur, & contra eorum incrementa gemant, orent, aliosq; exhortentur, ut sibi ab illis caveant. Sic David conqueritur, sanctos defecisse & fideles non reperiri in filiis hominum, Psal. 12. v. 1. Sic Elias conqueritur, se solum esse relictum & ejus quæri animam, 1. Reg. 19. v. 10. Sic Jeremias conqueritur, de summi impiorum felicitate, *quousq; Domine, &c. Et*

De impiis conqueri licet.

Et. Er wil sich gar mit Gott dem Herrn ins Recht legen / Jerem. 12. v. 1. Sic dicit Esaias, videntes foris clamare & pacis angelosplorare acerbissimè, Esa. 33. v. 7. imò ipse clamat & ingemiscit: *quis credit auditui nostro*, Esa. 53. v. 1. Sic Paulus conqueritur: *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?* 2. Cor. II. v. 20. imò pii quique conqueruntur: *Ach Gott vom Himmel sieh darein / vnd laß dich deß erbarmen/te.* ejusmodi querelæ concessæ sunt, & stolidos planè oportet esse Papistas, qui ex talibus concionatorum Evangelicorum querelis concludunt, ex Evangelio nil nisi pessimos fructus provenire posse, quasi vero querelæ illæ in scriptis Prophetarum & Apostolorum ferè omnium non reperirentur?

Inimicus homo hoc fecit.] *Sed tu Domine si vidisti hoc, cur permisisti? cur non prohibuisti? cur hostis fraudes admisisti?* quærit Chrysostr. hom. 48. in Matt. & statim respondet: *Quia oportet Zizania esse*, ut qui probati sunt, manifesti fiant, 1. Corinth. II. v. 19. & verè sunt causæ, cur Deus Zizania tolerat, de quibus postea agemus. ¶ Hic observa, conatus Diaboli & omnium Ecclesiæ hostium, Deo non permittente, omninò irritos esse. Nam licet hic servi dormiant: Dominus tamen vigilat, videt hostem in mediis tenebris, imò videt omnem ejus nequitiam, quæ latere usque adeò non potest, ut *Chrysologus* hom. 97. Diabolum irrideat his verbis: *Inimice vigiles; lucis refuga labores, non latebùs; cæli desertor prevenisti, fecisti non profecisti nec enim perire potest, quod ipse Dominus custodit, commisisti fraudem non in Dominum, sed in servum saltem somnolentum, si servus non videt, ille ille te videt qui totius & fraudis testis est & laboris.* Ideoq; periculosis hisce temporibus, non nimium terreat nos clandestinæ Papistarum & aliorum Ecclesiæ hostiù consultationes & machinationes, Der Römische Antichrist hats zwar böß im Sinn / was geußt er heimlich vor Blocken? was schmiedet er vor Ketten im verborgen? solts ihm gelingen / wir weren als die eine Fluth erseußt / vnd vber die groß Wasser leußt / vnd mit gewalt verschwemmet / Sed si ipse Dæmon latere non potest, utique conciliabula illa & conventicula impiorum multo minus latebunt, sed altissimus videt omnia, audit omnia, inire, dicit, *consilia & frustranea sint omnia*, Esa. 8. v. 10. Die Feind sind all in seiner Hand / dazu all ihr Gedancken / ihre Anschlag sind ihm wol bekant / drum last vns nur nit wancken. Was Menschen Krafft vnd Wit anseht / sol vns billich nit scherecken / Er sihet an der höchsten Stett / Wird ihren Rath auffdecken / wenn sie auffß klüggest greiffen an / te. Vis

Conatus Diaboli Deo non permittente, irriti.

Visigitur imus & colligimus ea.] Glos. Interlin. addit:

Vt excommunicemus eos. Lyra. *Vis, ut separemus eos a communitate Ecclesia per excommunicationem, & tandem dimittamus iustitia seculari, exterminandos per mortem?* ubi quidem fervorum commendanda (1.) *prudencia*, non enim sibi suisq; viribus contra infernalem inimicum confidunt, sed Domini expectant & consilium & auxilium: laudanda (2.) illorum *diligencia*, ad eruncanda enim zizania se accingunt statim & festinanter, in presenti dicentes, *non ibimus, sed imus, colligimus*, sine omni mora: laudanda etiam (3.) illorum *condolentia*, non quærun de vindicta erga inimicum, quemodo ille luere debeat, sed bono semini condolent, id attendentes unicè, ne jacta semina depereant. Attamen zelus illorum nimius est. ¶

Unde hic observandum, *Zelum quidem animarum jucundum Deo sacrificium esse*, juxta Greg. Magn. at non omnis Zelus laudatur in scripturis, sed *lapsus est*, quod *Jonas* Niniven, sine omni commiseratione vult perditam, *Das Unkraut sol stracks die Erd verschlingen* / Jon. 4. *lapsus est*, quod *Elias* præ indignatione & idololatrias detestatione mortem sibi optat, 1. Reg. 19. *Lapsus est*, quod *Asaph* cor inflammatur & renes punguntur ob impiorum felicitatem, Psal. 37. v. 21. *lapsus est*, quod *Petrus* gladio utitur, *Er wil das Unkraut stracks darnieder haben* / Matth. 26. *lapsus est*, quod *Joannes & Jacobus*, verè filii tonitru, ignem de cælo optant Samaritis, *Es sol stracks Donner vnd Blitz drein schlagen* / Luc. 9. imò *lapsus est*, quando *Ananias* ad *Saulum* ablegatus, dicit: *Domine quantum mala fecit sanctis tuis?* Act. 9. v. 10. hoc est, *eradicata Zizanon pestilentissimum, quid ad lupum ovis? quid ad contumaciam devotus? quid ad persecutorem predicator inermis?* interprete *Chrysologo*, Serm. 97. Sic hodieq; *Junge Prediger* sind oft hitzig vnd wollens Schnurrecht haben: *Junge Regenten* wollen auch mit der Klinge stracks sechten vnd Blut vergiessen / ut consiliiarii *Rehabeam*, 1. Reg. 12. Im gemeinen Leben wil auch einer dem andern oft vmb liederlicher Ursach willen stracks todt haben / quoties dicimus: *Vtinam excindantur, qui vos conturbant!* Galat. 5. v. 12. moderandus ille Zelus est, ne sit zelus ἀζήλ & inconsultus impetus, Rom. 10. vers. 2.

Zelus non est
ἀζήλ.

At ille dixit: Non, ne forte colligentes]

Syrus omisit negativam: *NON*, sed illa omitti non debet, cum hæc mens *Patrisfamilias*: *Non vindicare vos debetis, quod pater soli filio tribuit, ut scilicet arenam ventilet & à palca liberes* Matth.

(Matth. 3. v. 10.) attendite ergo vos, ut vasa sitis aurea & argentea, fictilia autem vasa confringere, illi soli est concessum, cui data virga ferrea, (2. Tim. 2, 20. Apoc. 2. v. 27.) & omne id, quod peccatis contaminatum si protinus exterminandum, ubi manerent electi mei, qui similiter variis peccatorum navis maculati sunt, illi similiter extirparentur. In gratiam ergo bonorum impius parcendum, cum finis vestri ministerii sit edificatio, non destructio, unde attendendum, non quantum malis noceatis, sed quantum fideles edificetis, Cyprian. l. 3. Epist. Quæritur autem an hæc patrisfamiliâs vox non sit contraria consilio Apostolico: *Aufferte malum ex vobis*, I. Cor. 5. v. 13. R. agitur ibi non de totali malorum sublatione vel exterminatione, sed saltem de remotione quæ fit ad tempus, per excommunicationem legitimam, tollatur, h. e. ab Ecclesia excludatur, usque dum pœnitentiam agat, Osiand. disciplinam autem Ecclesiasticam, hic nec labefactari, nec tolli, jam audiemus. ¶

Cum Deus malos velit in Ecclesia tolerandos.

Observa hic, Dei cogitationes verè non esse, ut cogitationes nostras, nec ejus vias, ut vias nostras, Esa. 55. Nos enim, juxta August. Serm. de Parab. Semin. p. 1510. Similes sumus servis illis, de quibus dictum est: *Visimus & colligimus ea?* Volebamus enim, si fieri posset, nullum malum remanere inter bonos, sed dictum est nobis: *Sinite, &c. quare? tales enim sumus ut falli queamus.* Man will oft einen Sessel auffheben / vnd zerbricht eine Schüssel / unde Lutherus juniorei cuidam Theologo scripsit: *Tu Ecclesiam faciendo angelicam, facies Diabolicam, & in ultima sua concione, quam Islebii, paucis ante obitum diebus, super hodiernum Evang. habuit, A. 1546. usus est hac similitudine: Vt ulcus in corpore non pungimus premimusve ante tempus, sed cum omni lenitate illud obligamus, Man leget die lieblichsten Rüllepflaster auff / ne malum inflammetur & serpat, man leßts außschweren / Tom. 8. Jen. p. 304. Sic Deus omnia Ecclesiæ suæ hulcera unico nutu perdere posset, sed magnâ longanimitate tolerat ea, ob rationes sequentes, ut (1.) boni exerceantur, quomodo enim tot essent Martyres, si tot non fuissent persecutores? Greg. quomodo Abel justus esset, si ejus fidem Cain non exerceisset? Ut (2.) in extremo die boni eo magis honorentur, quanta enim tunc pius gloria erit, quod bene vixerunt etiam inter malos, de Noacho certè, de Lotho, Davide & aliis tunc dicitur: *Vt rosa inter spinas, sic amica mea inter filias*, Cant. 2. non enim cum bonis bonum, sed cum malis bonum esse, valde laudabile est, Greg. Ut (3.) impii non pereant sed converteantur, non perdidit Deus potentiam, sed à te exigat pœnitentiam, poterat Zizania protinus eradicare, sed conversionem vult expectare, toleras ergo lolium, ut*

mute-

mutetur in triticum, Aug. Serm. 46. & profectò si Zizaniis Dei potentia non subveniret, quot infantes liberi excinderentur in lumbis impiorum parentum: *Si Deus Esavum peccantem, nondum edùt a prole, demessisset, evulsus utique simul pius Iob esset, qui ex eo genus duxit; nec Ecclesia possideret Matthæum de Publicano Evangelistam; nec Paulum de persecutore Apostolum; nec de latrone paradiſi incolam, si Zizanium statim excisum fuisset: sed cum Ananias videret Saulum, Dominus Paulum tunc videbat; cum Ananias persecutorem diceret, tunc Dominus predicatorem sciebat; Chrysol. Serm. 97. eadem ratio est Aaronis idòlatræ, Mosis homicidæ, Abrahæ, Ninivitarum, Petri, Mariæ Magdalenæ, Cypriani magi, Augustini manichæi, Lutheri monachi, &c. Hæc omnia grana, fructuòsa satis, eradicata certè essent & evulsâ, si Hispanicæ Inquisitioni fuissent commissa, & quomodo Samaria potuisset verbum DEI recipere, si ejus incolæ igne cœlitùs demisso essent perditì, Act. 8. v. 14. &c.*

Sinite crescere utraque simul] ἄφετε verbum non confirmationis aut approbationis, sed consolationis & permissionis. Syrus habet verbum שָׁבַק Schabhak, *relinquire, dimitte*: respondet illi Hebræorum, vel נָתַן Nathan, vel יָבַח Jabhah, quod est concedere seu suo loco relinquere, sicut de vastatore dicitur angelo: *סֵךְ אֶפְרַיִם*, Dominus non permittet, eum vestras domos ingredi, Exod. 12. v. 23. Sic Bileam dicit: *סֵךְ אֶפְרַיִם מֵעַתָּה*, Dominus non concedit mihi, Num. 22. v. 13. Sic David de Simei dicit: *אֶפְרַיִם אֶתְּוֹן*, sinite illum, ut maledicat, 2. Sam. 16. v. 11. & Christus de Pharisæis: *אֶפְרַיִם אֶתְּוֹן*, sinite eos, cœci sunt, Matth. 15. v. 14. nec non in passione: sinite eos usque huc, *last sie doch so fern machen*/ Luc. 22. v. 15. undè satis liquet, non *approbative*, sed *permissive*, tantùm hæc verba esse intelligenda. ¶ Observa hic I. Quales erga Zizanium gere- Zizanium quo-
modo tractan-
dum.

tere nos debeamus in statu *Ecclesiastico, Politico & Domestico*, omnes enim ordines hodiernum Evang. pulchrè informat. Statum **ECCLESIASTICUM** quod attinet, ejus officium voculâ **SINITE**, usque ad eò non tollitur, ut servi hic orent, & observato lolio, Patris familias in plorent auxiliium, nominant deinde scapham scapham & ligonem ligonem, *sie nehmen traun kein Blat fürs Maul / sondern nennen das Geschmeiß sein derbe: Unkraut/ &c.* Idem itaque & nos faciamus in zizaniorum & impiorum multitudine, (1.) oremus & **DEO** miserum Ecclesiæ statum indicemus, quia ad preces Alexandri perit Arius, ad preces Ananiæ convertitur Paulus, *Allen Kotten vnd Ergernüssen wehren / Alle Irrige vnd*

Versüßte wiederbringen/ Hilff vns lieber H. Erre Gott. Dicamus (2.) & nos zizanium zizanium, increpemus oportune & importune, 2. Tim. 4. arguamus cum omni imperio (ἄντιον) Tit. 2. imò increpemus eos severe, ἀντιόμως irrefutabiliter, cum ἀντιόμων sit præruptum vel præcipitium, unde quis effugere non potest, Tit. 1. v. 13. Imploremus (3.) auxilium Magistratûs, dicitur enim hîc, quod lolium tritico debeat *concrefcere*, οὐραυξάειν & , quando ergo zizania triticum crescendo volunt superare & quasi suffocare, ibi aliud quærendum remedium, auxilium Magistratûs scil. ubi tamen moderationis Theologica non obliuiscamur, sed eo brachium seculare dirigamus, ut zizanium feratur, non auferatur, emendetur non necetur, quantum quidem absq; tritici iactura fieri potest, *quod enim curvum est, non potest semper fieri rectum, & defectus non possunt numerari*. Eccles. 1. v. 15. ideò multa Deo & temporî committamus: *mitte vadere sicut vadit, quia non vult aliter vadere, sicut vadit, ut locutus est Lutherus*. Statum porrò POLITICUM quod concernit, is vocula SINITE gladio etiam non privatur, Rom. 13. Itaq; *de fontibus si quærat & malefici*, meritò illi à Magistratu plectuntur, quicquid Photiniani, Weigelius in Postill. Anabaptistæ & alii contra ganniant, quia lex posita est injustis, neque SINITE Christus dixit *vel Tyberio, vel Herodi, vel Senatu Hierosolymitano*, sed suis discipulis, illi SINANT, Magistratus autem è medio malum tollat, quia maledictus gladius, sanguinem non fundens, Jerem. 48. Unde frustra Mahometh ridet Christianorum doctrinam, ut planè INERMEM, cum contra ipse statuat, *si quis contra Alcoranum quid dixerit, morte moriatur*. INERMIS est nostra religio & gladio carens, *quoad ministerium Ecclesiasticum*, cuius arma spiritualia sunt, 2. Corinth. 10. v. 4. non autem *quoad Magistratum Politicum*, qui contra fontes gladium meritò stringit, ita tamen, ut temperamentum etiam hîc fiat iustitiæ & misericordiæ, *Ist zur Besserung anzeigen verhanden/ sol die liebe Dbrigkeit grosser Bescheidenheit sich gebrauchen/ alle Umbstände wol erwegen/ Justiniani Recht mit Christi Recht temperiren, etwan vbersehen/ vnd nicht bald zum Todt eilen*, fortassis lolium convertetur in triticum; sin minus & scelera reïterantur, præter gladium medela melior non est, alias sanguinem fundere negotium satis arduum, unde Nero bonus adhuc, dixit: *Vtinam scribere non didicissem*, cum facinorosus quidam Cæsaris subscriptione effet damnandus; De *hæreticis* dicemus postea, Tandem in statu OECONOMICO omnium
 bono

bonorum partes sunt, (1.) cum Ecclesiæ ministris diligenter orare, sicut Monica Augustinum filium, lolium sanè nocentissimum, precibus convertit, nec tot lachrymarum filius perire poterat, ut quidam Episcopus marronæ pientissimæ prædixit. Boni (2.) cum impiis non conversentur, sed zizania fugiant, nec ave eis dicant, 2. Joh. 2. Lolium omne (3.) ex domibus suis ejiciant, & ad Davidis exemplum malos non alant domesticos, Psal. 101. Reipublicæ (4.) pestes magistratui indicent eiq; lolium monstrant, sonst wer der Heler so gut als der Steeler. Tandem (5.) seditiones omninò fugiant, cum defendenda sit religio, non occidendo sed moriendo, non savitiâ sed patientiâ, non scelere sed fide, Lactant. l. 5. c. 19.

¶ Observa hîc II. quid statuendum de Hæreticis, qui cum per zizania hodierni Evang. propriè intelligantur, num interficiendi? R. Hæretici, si maximè in fundamento errent; si maximè errent malitiosè, si maximè errent pertinaciter; imò si maximè errent cum magno Ecclesiæ scandalo, modò *seditio & manifesta Blasphemia* absint, interfici tamen non debent, quia in hod. Parabolâ relinqui jubentur, & sic occidi prohibentur. Concordat Esaiæ vaticinium, non gladium, sed Spiritum ori Messiæ tribuens, c. 11. v. 6. concordat Christi interdictum, Luc. 9. v. 55. concordat Pauli præceptum: Hæreticum hominem de vita, & non, juxta fallaciam divisionis Thomæ, de - Vita, scil. tolle, vult enim Paulus, ut Hæretici *vitentur*, non ut de vitâ tollantur, Tit. 3. v. 10. concordat tandem Ecclesiæ praxis, quæ Arium exulare jussit, Novatianos, Valentinianos & Marcionitas proscripsit, Nestorium ab Ecclesiæ agro pepulit, &c. Malè itaq; Pontificii dicunt, in hod. Evang. Zizaniorum extirpanonem non absolutè prohiberi, sed eatenus tantùm, *quatenus vel non satis agnoscantur Zizania & à fidelibus distingui possint: vel quando lolium potentes habeat defensores*, à quibus Ecclesiæ majus inferri possit periculum & damnum, quàm ipsi hæresi obtingat, *Lyra*, & ex eo *Bellarmin. Tom. 2. lib. 3. de laicis, cap. 22.* Sed ejusmodi casus hîc non formantur, unde præceptum generale manet, & sanguisugæ sunt Pontificii, quando plus ore gladii, quàm gladio oris delectantur, fortissimi ipsorum Patroni sunt, vel tria F. *Funus, Flamma, Ferrum*, vel duo V. *Vulcanus & Vestis*, Denn/ihrer Meinung nach/kan den Lutherischen Hanen das trehen nicht besser verboten werden/als mit dem Bratspieß/hinc quidam Monach?

Vtere jure tuo, Casar, servosq; Lutheri

Ense, rota, pnto, funibus, igne neca.

Sed in Calvinianis idem fere sanguinarius Spiritus habitat, hinc L. Osiander, in resp. ad Apol. Heidelberg. p. 64. refert, dictos Monachi Augustani versus à quodam Calviniano, parum variatos, & conclavi Joannis Casimiri, nec non templi valvis ita esse adscriptos:

O Casimire potens, servos, expelle Lutheri,

Ense, rota, ponto, funibus, igne, necans.

Usq; adeò conjuncta sunt in his hominibus, homicidium & mendacium, quia utriusque autor est Diabolus, Johan. 8. v. 44. quod tamen de Lutheranis dici non poterit, *assueti sunt illi vim non inferre, sed perferre: non cogunt illi, sed coguntur: persecutiones non movent sed persequuntur: patienter tolerant, non inclementer tollunt seductos.* Interim si hæretici sunt, vel malitiosè in Magistratum *seditiosi*, vel in Deum manifestè *blasphemi*, illi vel maximè erunt coercendi à Magistratu, qui Dei in terris vicarius est, Psal. 82. v. 6. Ecclesiæ nutritius est, Esa. 49. v. 23. utriusque tabulæ custos est. Sic supplicium Genevæ sumtum est de *Michaelē Serveto* (S. S. Trinitatem Cerberum nominante) A. 1553. sic Bernæ periit *Valentinus Gentilis*, qui canis vel porci alicujus sanguinem precioso sanguini Christi (horresco referens) æquiparabat, A. 1565. Sic Anabaptistæ, *Ioan Leidenfis, Münzer, Knipperdolling*, patrum tempore, ob seditiones, gladio percutiebantur, Sleidan. Sed, annon his annumerandi, partim *JUDÆI* in Christum toties blasphemi, partim *MONACHI*, contra Magistratus interdictum, Missas in suas Monasteriis blasphemè celebrantes? R. Cum talia non *palam*, sed *clam* & in angulis fiant, als muß man das *Bütraut dulden / an fortè* nonnulli converti possent. Interim *Judæi* pellendi essent ad templa, nec propriæ ipsis (juxta Lutheri consilium) Synagogæ concedi deberent, si enim verbum & conciones nostras non audiunt, quomodo converti possunt? Monachorum & Monialium eadem est ratio, conceditur equidem illis in laudatissimo nostro Primatu aliquod religionis exercitium, sed adjuncti ipsis sunt Pastores Orthodoxi, à quibus informari, & si modo audire vellent, ad veritatis semitam, leni tractu, perduci possent, *Das sie heimlich in Winkeln murren / vnd ihr Safft aufgießen / kan man nicht wol wehren / aber dennoch auff die Cangel vnd zum Altar sollen sie öffentlich nicht kommen /* Luth. in Conc. Islebienti superius citata. ¶ Observentur. III. aliquot quæstiunculæ, fluentes ex præsentis Patris familias mandato: Sinite utraque crescere. Quæritur enim (1.) *an Hereticis fides servanda?* R. quod sic, quia in propa-

patulo sunt, tùm Pauli regula: *quantum in vobis est, pacem colite, cum omnibus*, Rom. 12. tùm, Sanctorum exempla, Gen. 21. v. 26. 31. Jos. 2. & 9. 2. Sam. 21. Plura addi possent, sed nescio an hujus regulæ: *Heretico non est servanda fides*, Papistas vel pigeat vel pudeat hoc tempore? *Becanus* certè Jesuita peculiarem habuit disputationem: *De fide hereticis servanda*; & in alia quadam disputatione contra Batavum quendam, magno strepitu contendit; Romanam Ecclesiam nunquam, vel in ullo Concilio, vel ullo Pontificum decreto, vel in ullo aliquo libro, vel ullo aliquo exemplo docuisse, *heretico fidem violandam*. Utinam verò historia *Husii*, *Hieron. Pragensis*, & quotidiana Catholicorum praxis contrarium non probaret. Quæritur (2.) an pius magistratus diversæ religionis exercitium possit concedere? R. Quod sic, concedere potest non quidem *approbative*, sed *permisive* siquidem sine externo periculo aliter fieri non queat, nam habemus hic *Christi consilium*; locum concedendum lolio, ne quid detrimenti patiatur triticum: habemus exemplum *Davidis* 2. Sam. 8. *Salomonis*, 1. Reg. 4. *conversi Nebucadnezaris*; Dan. 3. *Cyri*, Esdr. 1. & c. qui licet regiones & subditos haberent à vera religione alienos, neminem tamen vi coegerunt: Habemus pientissimum *Assa*, *Iosaphatum*, *Ioas* & alios, quorum Zelus satis quidem notus est, sed sacrificia in excelsis tolerarunt; nec ratio deest, nam licet utriusq; tabulæ custos Magistratus esse debeat; non tamen pro secunda tabula ita Zelandum, ut primæ aliquod periculum inde oriatur, &c. hæc quidem ita se habent, sed in praxi tamen Magistratui Christiano omnino incumbet; *accuratissima circumspectio & consideratio omnium circumstantiarum*; ut hac in parte gloriæ divinæ, Ecclesiæ, & salvandorum conscientias rectè consulatur. Quæritur (3.) in specie, an *Passaviensis consederatio*, in Imperio Romano, non Pontificiam modo sed & Lutheranam religionem tolerans, licita fuerit unquam? Negant Papistæ ideo, quod illa libertas vi sit *extorta* Imperatori: quodq; *ad tempus* faltem debuerit durare, ad Concilium videlicet Tridentinum. &c. R. Hæc omnia falsa esse, quis enim Imperatorem cogere & vi ab illo extorquere aliquid potuit tunc, quando Saxonie Elector erat captus? quando Hassiæ Landgravius ad Cæsaris pedes provolutus, paulo post custodiæ tradebatur? quando Magdeburga nostra obsidione premebatur durissima? quando Bremensium & aliarum imperii civitates potentissimæ defecerant: quis tunc ferro libertatem religionis extorsit? Deinde terminus ad quem durationis illius pacifica-

An hereticis fides servanda.

An diversa religionis exercitium concedendum.

De conventionem Passaviensium.

tionis nullo modo fuit Concilium Tridentinum, sed ut formula, ad quam etiam Imperii Successores obligati, expressè habet, indefinite: *Wiß auff Christliche vnd freundliche Vergleichung der Religion.* Vide Meelfhrerum th. 62. 63. & seq.

Et tempore messis dicam messoribus] *Quæ messis? qui Messores? quique zizaniorum manipuli ac fasciculi?* Messem (1.) Origenes quintuplicem facit, cum notet & multitudinem credentium, Matth. 9. messis magna: Et futura premia unicuique reposita, Gal. 6. quicquid seminaverit homo, hoc etiam metet: Et exultationem piorum in cælestibus, Pl. 126. qui seminant in lachrymis, cum exultatione metent: Et communem ac annuam messem eamque vel hordeaceam, Ruth. 1. vel triticeam, Jud. 15. Et tandem vocula messis notat finem hujus seculi, ut hoc loco. Messores (2.) aliàs dicuntur Apostoli, Matth. 9. Job. 4. sed metunt illi inchoativè quidem, finaliter autem metent angeli Apoc. 14. v. 17. unde contra nimium Zelantes homines Augustinus hom. de ovibus pag. 1078. ita loquitur: *Messores angeli sunt, ergò non servi, homo carne septus, carnem portans, & forte totus caro, caro corpore, carnalis animo, aude nunc usurpare officium, quod nec in messe erit tuum?* Dicitur autem messoribus, ut colligant zizaniam; ergò nemo poterit effugere: Ut illud ligent; ergò nemo seipsum poterit liberare: utque fasciculos faciant; ergo pares in fine mundi sociabuntur paribus, & unusquisque pro modo perversitatis sua punietur, Gloss. Interlin. Manipuli itaque & fasciculi (3.) tales erunt: Epicuræi & *ἑβδουχοί* in uno erunt manipulo cum Pharaone; contemtores verbi cum epulone; immorigeri cum Absolone; Homicidæ cum Caino; mœchi & fornicatores cum Herode & Herodiade; Fures cum Achan; mendaces cum Anania & Saphira; Avari cum Rege Achab; invidi cum Saulo constringentur: En tibi manipulum furum, qui comburentur in fornace ignis infernalis, cujus flamma non extinguitur, Esa. 66. Apoc. 20. v. 10. ¶ Observa autem hinc jucundas illas rationes, cur extremus dies Messis confertur, sit hoc (1.) quia hujus mundi æstum insequetur, quemadmodum ætatem messis sequitur, 1. Pet. 4. v. 12. quia (2.) tunc pietatis fructus colligentur, ut in messe, & portabunt cum tripudio manipulos suos, qui hic stebant, Psal. 126. quia (3.) plus in mundi vespera accipiemus, quàm meriti sumus, sicut in messe plus colligitur, quàm seminatam, Matth. 20. quia (4.) ibi electi gaudebunt gaudio vero, mero, & sempiterno, sicut messis ceu tempus gaudio plenum describitur, Esa. 9. quia (5.) ut messis certa est, juxta Dei pro-

*Dies extremus
cur Messis confertur.*

promissum, Gen. 8. Sic finis mundi omnino certus est, licet tempus incertum, & profecto jam ad magnam illam messem omnia albicare videmus, proinde:

*Sis patiens, si vis sapiens & sanctus haberi,
Senina post fletus gaudia messis habet.*

Triticum autem colligere in horreum.] *Quod triticum?*

qui tritici manipuli? quodque horreum? Triticum (1.) dicuntur boni & fideles Christiani, qui tritico conferri possunt, partim *in plenitudine*, partim *in albedine*, partim *in munditie*, partim *in palearum paucitate*, partim *in patientia necessitate*. Grana boni tritici plena sunt, *sein großförniger Weis ist wol der beste*/ ita & nos simus magnæ fidei, magnæ charitatis, magnæ spei, magnæ patientiæ, & magni erimus in cœlo. Grana boni tritici sunt *intus albiantia*, *sein reiff*/ ita & Christiani albescant intus, mortificent carnem nec in corpore peccatum regnet, intus enim pulchra est filia regis, Plal. 54. Grana boni tritici sunt *foris munda*, *staubiger vnd brandiger Weis tauget nicht*/ sic absit à Christianis peccatorum pulvis, absit conscientiæ cauterium, inculpate vivant, Dei enim voluntas est nostra purificatio, 1. Thessal. 4. Grana boni tritici *palearum parum* habent, Christiani paleas rerum terrenarum similiter abjiciant, & quæ supra sunt quarant, Colof. 3. Grana tandem boni tritici *quid experiri non coguntur*? in terris pruina teguntur & nive: in agro pluvias, ventorum & grandinum sentiunt tempestates: in horreo tritulantur, cribrantur, in mola teruntur, in furno coquuntur, & tandem panis fiunt acceptus: pari modo patientes simus variis calamitatibus & cruce si ventilemur, si trituremur, si cribro Satanæ injiciamur, imo si tandem mortis fœcæ resecti in terram conjiciamur, quia certum est illud Ecclesiæ; *Reine Frucht das Weizenförnlein bringt / Es falle denn in die Erde / ic. resurgemus tandem & panis Dei acceptissimus erimus*, juxta illud Ignatii Leonibus obijciendi: *Triticum Domini sum, dentibus ferarum terar, ut siam panis acceptus in mensa Domini Dei mei*. In cœlo (2.) similiter jucundissimi erunt *Viventium fasciculi*, juxta phrasin Abigaelis, 1. Sam. 25. Dei amatores & cultores erunt in fasciculo *cum pio Abele*: devoti oratores *cum Davide*: auditores verbi strenui *cum Maria Lazari* sorore: probi liberi *cum Isaaco*: dilectores & benefactores proximi, *cum Thabea*: casti & pudici *cum Iosepho & Susanna*: credentes *cum Abrahamo*: humiles *cum Maria matre Domini*, &c. Tandem (3.) *horreum* est vitæ æternæ gaudium, cujus

Pii cur tritico conferantur.

Fasciculi piorum.

Horreum cœlestis.

conditio talis erit. Reperietur in cœlis jucunda Sanctorum *conversatio*, p̄i enim, juxta hod. parab. phrasin, ibi *colligentur, vel congregabuntur*. Erit in cœlis omnium tempestatum *cessatio*, quia in agro experitur triticum ventos, pluvias frigora aliasque tempestates, sed in horreo quiescit: sic in cœlis nulla amplius tempestas erit, sed omnes lachrymas ab electorum oculis Deus absterget, Apoc. 7. Erit in vita æterna perpetua *Dei contemplatio*, quia horreum cœleste est *horreum patrisfamilias*, in meinte *Scherore* / suum horreum; *ubi suis semper aderit*, quomodo enim *Electis bene esset sine illo? & quomodo male cum illo?* Bernh. Sermon. 1. de Advent. Erit in cœlis ineffabilis corporum glorificatorum *coruscatio*, quia ut Christus v. 43. addit, *fulgebunt sicut Sol in regno Patris*: quæ phrasin si rectè attendatur, Gradus certè vitæ æternæ non poterunt negari, nam licet in illa solius Solis mentio fiat, splendor tamen solis non semper idem est, sed respectu nōstri Sol clarior est meridie, quam manè & vesperi, efficacior in ætate, quam in hyeme: sic in vita æterna alius alium claritate superabit, 1. Cor. 15. v. 41. idem innuerè hic videtur *oppositio* fasciculorum, si enim in infernali fornace gradus erunt, Luc. 10. v. 12. 22. v. 47. Matth. 23. v. 14. Sap. 6. v. 6. utique multo magis erunt in cœlo, &c. ¶ *Observa ergo felicitatem impiorum non æternam esse, florere possunt in hoc mundo, non florebut in cœlesti horreo. Alle Ding ein Weil ein Sprichwort ist/ vidi impium se extendentem & ut laurum florentem, cum autem præteriret & de eo inquirerem, emarcuerat, evanuerat, nec locus ei relictus erat, Psal. 37. v. 35. 36. Quid ergo agrè toleratis malos permixtos bonis? in agro vobiscum esse possunt, in horreo non erunt, cum alia agri sit conditio, alia quies horrei. Tolerat ergo quia fortè toleratus es; si semper bonus fuisti; habeto misericordiam; si aliquando malus, noli perdere memoriam, & quis semper est bonus? facilius si te Deus diligenter discutiatur; inveniet te etiam nunc malum, quam tu te semper bonum, August. in Parab. seminantis, t. 10. c. 1517. Ut ergo concludamus: Boni tolerant malos: mali mutantur & imitentur bonos: omnes, si fieri potest, ad Deum pertinemus; omnes malitiam seculi hujus in illius misericordia evadamus; omnes simul triticum, ut cum cæperit frumentum, dominicus horreus condi, fructum pro opere capiamus, Cyprian.*

l. 3. Epist. 3.

Felicitas impiorum temporalis.